



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari  
Veterum Libri Duo**

**Scheffer, Johannes**

**Francofurti, 1671**

Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13156**

*Quadriga Erichtonii.)* Hoc non lectum mihi; Velle itaque, ut auctorem idoneum nominasset.

*Syselli.)* Videtur Cypselum intelligere. Sed de curru ejus talis nil reperio apud alios.

*Equis appositæ erant ale.)* Nec hoc lectum mihi. Et vide, quæ de curru Solis dixi libro primo. Pelopis eqvos facit alatos Pausanias in Eliacis I. verum ibi agit de statua eorum sic formata: Ἐκετέρῳ μὲν δὴ σύνολον εἰσὶν ἵπποι, τοῖς δὲ τοῖς Πέλοπός εἰσι πεφυκταὶ καὶ πίεραι. Quæ sic vertit Interpres: *Bigis uterque invehitur, sed pinnati sunt Pelopis equi;* Cum debuisse: *Quisque equis utitur duobus;* Cum sit sermo de ἄμιπποις.

*Quæ vocabula idem notant.)* Falsum hoc, nec ubi Græcum αὐμαξα, ibi statim de plaastro cogitandum. Sæpe generalis vox est.

*Pilenti, Carpenti.)* Omnia hæc distincta sunt, qvod ipse noster non dissimulare potest in seqventibus.

*Carpentophorus.)* Hunc ego nūspiam reperio, & ex explicatione liquet, καρπόφορον in animo habuisse. Sed nec καρπόφορος, seu carpophorus, de vehiculo invenitur, & plane imperitia lingvæ Græcæ obstitit Ligorio. Ad postremum decimæ, qvas hic memorat, Romanis penitus fuerunt ignotæ.

*Carpentum fastigiatum.)* Quid est, fastigiatum? & quare fastigiatum? Seqvitur apud Tacitum: *Suum quoque fastigium Agripina altius extollere.* Hinc natum carpentum fastigiatum, qvod est prorsus ineptum.

## Cap. II.

*Plane sicut carpentum.)* Hoc verò falsum esse docent, quæ de vehiculo utroq; differui.

*Fuisse repertum in Hispania.)* Dicam infra, cap. 23.

*Sculptos in hunc modum.)* Utinam nobis eos exhiberet quispiam delineatos diligenter, multum sine dubio juvarent institutum hoc. Nunc ignorare cogimur, nunquam, qvod sciam, publicatos.

## Cap. III.

*Δύτροχον.)* Hoc propriè non est cisium, sed vehiculum qvodlibet,

libet, cum rotis duabus. Vide tamen, qvæ de cilio notavimus.

*De eadem re.) Cleobis & Bitonis intelligit historiam. Primum autem qvis ex Græcis σύριχος scribat usos, haud recordor. Deinde, si vel maximè qvis hoc scribebat, non tamen inde seqveretur, σύριχον esse cilium.*

*Cisiarius.) Scribendum erat cisiarius.*

*De jure cisiario.) Nullalex de jure cisiario, nullum jus cisiarium extat apud veteres. De cisiario agitur, si cilium everterit, in l. 13. ff. Locati, ex qvo jus hoc noster est commentus.*

*Plausta, vehicula & cisia.) Totum hoc est falsum. Nunquam enim bigæ, trigæ, ac id genus, plausta cisiave dicta.*

*Anterior erat pro auriga.) Hoc tantum valet in vehiculis generis Cyrenaici, non in eis, qvæ à Cyro sunt excogitata.*

*Et alias appellatus sit carruca.) Sed à nullo idoneo Scriptore.*

*Tornus est carrus.) Ineptissimè. Nunquam tornus vehiculis annumeratus est. Vitruvius sic ait, lib. X. cap. 1. ubi agitur de machinis in universum: Non minus sunt innumerabiles moderationes machinationum, de quibus non necesse videtur disputare, quoniam sunt ad manum quotidiana, ut sunt rotæ, folles fabrorum, rhedæ, cisia, torni, ceteraque, quæ communes ad usum consuetudinibus habent opportunitates. Qvia hic rhedæ, cisia & torni mutuò se excipiunt, omnia hæc vehicula putavit, sed eadem ratione folles quoque ac rotas facere vehicula potuisset, qvæ præcedunt. At qvis non videt absurditatem..*

#### Cap. IV.

*Carruchi argentei in vico Sigillarii dicto.) Primum non argentei, sed argentati fuere, inter qvæ duo plurimum est discriminis. Deinde nullus Romæ vicus fuit Sigillarii, sed Sigillarius, in regione septima, à qvo, nisi fallor, differebat locus peculiaris ad Sigillaria vocatus, qvem in animo noster habuit, cum ista scribebat. Nec enim dubitari debet, qvia respexerit Svetonium, sic loqventem vita Claudi, cap. 16. Eshedum argenteum sumptuosè fabricatum ac venale ad Sigillaria redimi concidig, coram imperavit. Verum ex his verbis id colligere, qvod facit Ligorius, est ex qvovis qvidvis facere.*

*Per*